

quo accedente hyeme (quod praecipue tempus studijs peraccommodum expertus sum) finitis turbis studijs me serio applicare possem. Ex quibus credo perspicuum fatis erit, quantas difficultates haecenus superandas habuerim ob mea studia, meque necdum in portu esse, sed tua generosa dextra hoc assequi non despero. Id quod 2^o loco, jam destinavi explicandum.

Omnes homines natura ad otium a labore proclives sunt: quare magna difficultas hic alios iuvandi oritur, quia postquam effecimus ut illis bene sit, saepe accidit, ut frustremur spe, quam de illis habuimus. Sed notandum maxime, quod omnia praecipue laboriosa nobis videantur, quae contra nostram inclinationem cogimur patrare, quare non dubitandum, si adjumento simus alijs in ijs ipsis rebus, ad quas ipsi inclinant, haecque inclinatio non sit levis, sed quae per longos annos quasi in halitum conversa, hoc nullatenus expectandum fore. Unde conicere poteris, si ultimum hoc quod studijs meis continuandis inservire queat, pro me impetrare posses, cum certe fortiosem inclinationem pro nulla re habeam (prout fatis demonstravi per primam partem, cum haec nullis difficultatibus potuerit supprimi) tibi hac in re timendum fore. Facile autem ex superioribus colligendum, unicum hoc adhuc superesse, ut mihi velut alijs Acad[emiae] membris assignetur talis pensio, de qua recipienda securus esse possim; nec tamen plus unquam desidero, (nec acceptarem licet offerretur ob multas rationes) quam singulis annis 1000 imperiales, quod quidem non adeo multum esse judicabit, cui perspectum, quod studia non leviter excolere meum propositum est.

Primo etenim efficiam, ut aliquem habeam, qui bonis meis praesit, prout fatis mihi jam prospexi hac in re, quo rei domesticae nullis curis detinear.

2^o. Astronomum, qui mecum observationes coelestes instituat ut haecenus talem Lipsiae Mr. Kirch⁹⁾ habemus. Hunc ad nectum meum possum habere quando volo, et res conclusa esset inter nos, nisi timerem mihi forte non succursum iri prout desidero. Hic n[empe] vir D. Hevelij per multos annos fuit observator, et calculator in rebus Astronomicis. Hic jam Lipsiae degit, et singulis annis Ephemerides continuat, quare praesentem segedam his literis inclusi¹⁰⁾.

Tria a[utem] praecipue ad tales observationes requiruntur. Primo quadrantes, quales in Observatorio Regio Paris. cernuntur, et quorum structuram D. Picard in Tractatu de mensura Terrae¹¹⁾ explicat (hic ex occasione doleo hujus viri mortem) sed haec omnia mihi hic acquirere possem, cum mechanicum egregium habeam ad similia fabricanda (de quo statim).

⁹⁾ Gottfried Kirch, né à Guben le 18 décembre 1639, mort à Berlin le 25 juillet 1710. Après avoir travaillé sous la direction de Hevelius, il vécut à Lobenstein et à Leipzig, s'occupant de la publication de calendriers. En 1700 il fut nommé membre de l'Académie des Sciences de Berlin, où, depuis 1706, il dirigea l'observatoire, bâti d'après ses indications.

¹⁰⁾ Nous ne possédons pas ce document.

¹¹⁾ L'ouvrage cité dans la Lettre N^o. 1914, note 15.

Secundo tubi optici; horum autem quosdam habeo, et praesertim egregios duos, vitris D. Borelli¹²⁾ instructos. Unus ulnarum 6. Lipsiensium, alter 12 ulnarum. (Est autem ulna lipsiensis ad ulnam Parisensem (quod nos vocamus den pariser itah) ut 1 ad 2, seu in subdupla proportione.) Hic ultimus mihi Saturnum praeter propter hac facie exhibuit¹³⁾, dum triplicem conjunctionem ♃ et ♃¹⁴⁾ observavi.

Dein hos parare olim didici, sed ordinariâ viâ, et mechanicus meus fatis affabre similia vitra elaborare a me didicit.

Tertium quod requiritur ad Obser[vationes] Astronomicas est utique nobilissimum tuum Horologium Oscillatorium; qua de re doleo, quod tale mecum huc non attulerim, cum simile mihi hic habere non liceat. Quapropter vehementer rogo, ut tale, quali ipse uteris, mihi procures et bene munitum Amstelodamum ableges ad D. van Gent: Expenfas n[on] imirum] libenter tibi restituum, ubi resciero, quantum hoc constiterit, postquam autem semel id habuero, hinc equidem officium facile, ut mihi similia hic parentur.

3^o. Faciam ut medicum habeam, qui pecunia aliqua singulis annis soluta, mihi in Chymicis et Anatomicis, qualia experimenta et observationes desidero, instituat. Scio quoque aliquem, quem ad nutum meum habeo, cum per multos annos simul hic et in exteris locis studiorum gratia conjunctim vixerimus. Hic mihi jam phosphori processum elaborabit.

4^o. Egregium Analititam scio, et quem modo conduxissem, si modo absolute certus essem ejus quod desidero, qui mihi quidem in calculo analytico multum sublevaminis posset adferre.

5^o. Mechanicum hic habeo ultra modum praesentem (qui a nullo nisi a se ipso propria inclinatione instructus) qui torno egregie laborare novit. Seriniarius est, Horologia fabricat, Libros compingit et similia multa, quae modo videt, ipse efficere conatur. Hic vero meus subditus est, huic 30 imperiales annuatim do, unde nulli rei domesticae (hinc enim ruri hic cum suis fatis commode vivere potest) nec ulli alij servitio est, quam soli mihi. Hunc non sollicito ad labores, cum sive ad sim five minus, internus incitator propria inclinatio efficit, ut aequae res suas peragat, ac quum ad sim. (Ex quo solo colligendum, quales condiciones debeant habere Academici, ut pensione digni sint.) Jam a[utem] in eo est, ut varia vitra optica mihi perficiat. Sed quia admodum desidero (ob singulares rationes) ut tale speculum ustorium habeam, quale est vestrum Parisense¹⁴⁾, hanc curam lentes varias efficiendi filio ejus concessi; et postquam ad vitra D. Borelli Tubos mihi paraverat aliaque quaedam curiosa, jam in eo totus est, ut simile perficiat. Et certe in eo parando talia didici, ut jam exiguis sumptibus et labore haud adeo magno similia parare valeam. Funt autem ex cupro, possum siquidem laminas cupreas hic habere tanta mag-

¹²⁾ Sur Pierre Borel, consultez la Lettre N^o. 330, note 3.

¹³⁾ Il s'agit de la conjunction de Jupiter, Saturne et Mars en septembre. Consultez la Lettre N^o. 2277.

¹⁴⁾ Consultez la Lettre N^o. 2274, note 3.

nitutinis ac crassitie ac fere desidero. Et sane speculum tale jam fere perfecit (perfectum esset ni mechanicus meus laborasset febri quartana) quod magnitudinis est in diametro 7 quadrantium ulnae Lipsiensis, jam eo redactum, ut in minuto temporis adhuc lignum (licet album admodum sit) statim in meram flammam coniciat, plumbum, stannum, imo argentum quoque intra pauca minuta guttatim fundat, et nisi mechanicus aberrasset à perfecta superficie sphaerae (dum in mea absentia aliquid circa polituram tentavit) hoc forte non multum differret a vitro Parisiense: Alias objecta tam clare monstrat ac speculum vitreum. Interim fateor, quod talia compendia invenerim ad ipsum poliendum, et quibus cognitae res haec tam facile peragitur, ut a puero 12 annorum politura possit effici: absque his vero, ego laborem tale speculum perficiendi non susciperem, nisi fontica causa hoc impediatur, ego in me suscipiam tale speculum fabricare, quod in diametro 3 ulnas Lipsienses habeat, quod tamen non ultra 50 imperiales non constabit, quale quidem credo nemo adhuc perficere aggressus est. Interim effecta hujus multo magis admiranda esse debent, quam vestri Parisiensis, quod aliquot 10000 florenorum constat. Ex occasione referam Anglum esse in Altena prope Hamburgum, quem dicunt vitrum mollescere et indurescere posse pro lubitu, et multa miranda hinc praestare posse. Fuit peregrinus in Lusacia nostra hic, qui vitrum ab ipso habuit utrumque convexum in cuius medio magna aranea incorrupta haerebat. Vellem me ipsum hoc vidisse, et dabo operam quo resciscam quid rei fiet, et numne hoc inventum aliquam fallaciam includat. Delector quoque eo quod scribis quod ipsa experientia edoctus et te vitra poliendi artem ad summam perduxisse: Optarem mihi aliquod vitrum hac arte paratum, imo ut hoc in Dioptrica tua publicatum aliquando secretum exstaret.

Sed pergo in meo proposito, a quo nonnihil deflexi, et

6°. vellem quoque correspondere cum extraneis in variis Regionibus: uti Amstelodami habeo D. van Gent, virum talem, quales optarem ut similes correspondentes alij in locis mihi acquirere possent; id quod soluta aliqua pecunia facile obtineretur, ut hic subito resciamus quid in alijs locis peragatur, et novi ab eruditissimis inveniatur.

Quae omnia qui bene considerabit, non existimabit nimium esse quod 1000 imperiales desiderem, ad studia bona excolenda, et dubito an multi inveniatur jam, qui simile quid ea pecunia sint praestituri, ac in me suscipio; quanquam etiam (siquidem impossibile est eam summam obtinere) etiam minori pensione contentus essem (uti haec et similia satis superque dum Parisijs essem Mr. l'Abbé Gallois indicavi) praesertim si quis velit ad hoc reflectere, quod me obstringam me nulla secularia officia unquam ambire velle, quorum hic quidem quaedam satis lucrosa sunt, et praeterea ad ea, quae modo referam, et quid ipse mihi proposuerim exsequi si orium habeam desideratum, de quo jam 3°. loco quaedam aperire constitui. Dico itaque me jam talem commoditatem habere studia mea hic profsequendi, qualem hactenus habere non licuit, cum nec amici nec nupta mea ullo modo contrarij sint,

plane ut praevideram; adeo ut hoc anno talia praestiterim et laboraverim, quantum ullo ex praecedentibus; et quidem quoad Mathesin, omnes difficultates, quas mihi unquam formavi, jam penitus superavi, ut nihil jam opus habeam, quam ut ea tantum, quae prolixo calculo constant, compendificiam; quod in quibusdam sic peregi, ut, quae calculum tam prolixum requirunt, credam eundem ab hominibus, si quandoque integram vitam consumerent, non posse absolvi, ego eadem perfacile ex tempore assignem.

Sed priusquam res eo redigatur, multum temporis et laboris requiritur, et mens ultra modum atenta. Quae autem hoc anno in similibus peregerim nunquam quis crederet; nisi praesens harum rerum spectator fuisset, et quidem ut inter alia quaedam recenseam, inveni.

1. Methodum radices omnium aequationum absolute exhibendi; quae methodus non ablatione terminorum intermediorum absolvitur, nec hoc habet ut in Radicum expressione imaginarij quid occurrat (uti in Cardani expressione Radd. Cubicae Aequat.) etque tantae universalitatis ut hinc omnia sequantur, quae circa haec quis alia quacunque methodo concipere potest. Simile quidem, ut tibi retuli alias in potestate habui, sed radices tales hinc formabantur, quae imaginarij quid includebant. Et fateor nullam rem me in mathematicis tam anxie quaesivisse, eam quoque ultra modum per plurima mea publicanda retardasse, (imprimis et Tractatum Regi dedicandum quem alias jam absolvivissim; sed huic hac hyeme certo finis imponi debet). Quod a[utem] non potuerim quietus esse, usque dum hoc perfecte determinassem in causa est, quod hinc ultra modum praestantia Corollaria deducam. 1. Namque totum Reductioem genus, quae aequationes non raro ad minores terminos reducuntur (de qua re D. Huddenij egregius Tractatus¹⁵) exstat) hinc compendiosissima via perficiatur. 2. Ego concepi nova prorsus Elementa analysios. In ordinaria analysi incognita cum cognitis involvimus, et hinc 3. magnae difficultates exsurgunt. *I.* Reductio variarum aequationum ad aliquam, in qua unica est incognita. *II.* hanc porro, si possit fieri reducimus ad aliam, quae minores dimensiones obtinet. *III.* Hoc obtento tandem Rad. exhibemus, seu quod idem, incognitam ad unam aequat. partem reducimus, quae aequalis est solis cognitis ab altera parte aequationis. Sed quae? Quanta hinc exsurgit labor. Hic autem ex eo solo oritur, quod primo incognitam cum cognitis miscuimus; nam omnes hae tres molestae operationes non nisi evolutiones sunt incognitae ex cognitis, quam primo in solutione problematum alijs cognitis involveramus. Hoc cum considerarem, et quod genuina Methodus incognita non misceat cum cognitis, et dein incognita rursus evolvat, sed quod potius per sola cognita procedat, et hinc determinet incognita, conclusi analysin ordinariam genuinam non esse methodum problemata solvendi;

¹⁵) Voir la Lettre N°. 592, note 5.

adeoque quo evitemus magnas difficultates illius novam quaerendam esse, hancque novam analysin problemata debere solvere, considerando et procedendo per sola incognita¹⁶⁾ (incognitis non immixtis) atque hinc incognita determinanda esse. Et hanc rem illustribus admodum exemplis demonstrare possem, ubi eadem problemata ordinaria analysi et hac mea nova solvi. Ad hanc rem vero perficiendam requiritur ut curvae in sua genera distribuatur, et quod in quolibet gradu determinentur, horumque genuinus situs. Hoc ultimum vero ope expressionum Radicum per formulas Generales facile obtinetur, ubi si Deus vitam concesserit, hic singularia, et nescio num ab ullo ante me cogitata aperiam in mea arte analytica, quam peculiari Tractatu aliquando exponere decevi. Quoad situm autem Curvarum, mirum est quas flexiones non raro habeat, quae tamen ope Radicum facile determinantur et designantur. Illustre hujus rei exemplum repraesentavi in scheda adjecta¹⁷⁾; ubi videbis Curvam aliquam Geometricam genuino suo situ expressam, quanquam curvas Geometricas noscam, quae multo magis compositae et mirabiliores adhuc flexus habent.

2. Inveneram alias methodum¹⁸⁾ infinitas curvas ope focorum facillime determinare aequae ac circulum solemus: eadum quoque facilitate Tangentes earundem ut lineae circularis determinabam, verum nesciebam num omnes curvae conceptibiles hinc possent formari, quod jam scio, dum inveni qua ratione data curvae alicujus essentiali proprietate, sive mechanica fit, sive Geometrica centra seu focos possum a priori determinare. Et miraberis forte, si dicam non solum omnes Curvas Geometricas sed et Mechanicas centra habere, nullumque ex omnibus mathematicis fuisse, qui tam prope ad hanc notitiam fuit, quam te ipsum, ut aliquando publice de te testaturus sum. Quam pulchra autem hinc sequantur nequeo satis exprimere.

3. Inveni methodum, cujus ope cujuscunque spatij Curva Geometrica terminati aut Quadraturam exhibeo aut impossibilitatem demonstro. Hoc autem invento me multo plus praestitisse, quam si ipsam circuli aut hyperbolae quadraturam exhibuissem, absque dubio rerum harum aequi Judices aestimabunt: si enim Quadraturae haec possibiles essent eadem methodo easdem exhibuissem, cum hinc omnes Quadraturae possibiles determinentur; cum vero hoc impossibile fit, impossibilitas quoque demonstratur earundem; sed idem non solum de circulo et hyperbola fit, sed de omnibus curvis geometricis. Verum hoc inventum intra 14 dies Actis Erudit. Lipsiens. inferere constitui¹⁹⁾, quemadmodum hactenus quaedam commu-

¹⁶⁾ Lisez: cognita.

¹⁷⁾ Cette pièce ne se trouve pas dans notre collection.


¹⁸⁾ Cette méthode, sur laquelle on peut consulter Cantor, Geschichte der Mathematik, Tome III, p. 146—149, fut exposée par von Tschirnhaus dans sa Medicina mentis (voir la Lettre N^o. 2276, note 2.

¹⁹⁾ L'article a paru dans les Acta Eruditorum du mois d'octobre 1683 sous le titre: Methodus Datae figurae, rectis lineis & Curva Geometrica terminatae, aut Quadraturam,

niciavi, quo Parisijs observarent meos progressus; sed nomen meum non adjeci nisi literis initialibus D. T. quae notant de Tschirnhaus, quia his in locis haec non adeo mihi honori essent, prout literis ad D. Mariotte significavi, verum Mr. l'Abbé Gallois nondum scripsi, hoc tunc facturus quando Regi specimina mathematica offerenda transmittam.

4. Jam in eo determinando sum, num omnes Quadraturae possibiles Curvarum Geometricarum possint ad Circulum aut Hyperbolam reduci. Quod si possibile, utique perpulchrum erit, quanquam etiam si hoc non fit, non minus praestans erit hoc posse determinare num possibile aut impossibile fit.

5. Si quoque Curvae quaedam Geometricae Quadraturam non admittunt, possum ostendere Curvas mechanicas simplicissimas, quarum ope mechanice quadraturae tam accurate possunt exhiberi, ac mechanice aliud quodcumque potest determinari, quod geometricae solum nobis vocatur.



6. Sit Curva quaecunque EDF, tangens AD, tangenti ad angulos rectos occurrens fit DC, DB sit normalis ad rectam AC. Proponatur jam curva aliqua EDF inveniendae, quae tales condiciones habeat ut inter has 5 lineas AD, DC, AB, BD, BC fit quaecunque imaginabilis compositio (ex. gr. quod AB debeat semper aequalis esse constanti quantitati, aut AD, DC, vel BC, item quod rectangulum ex AB et BD aut quaevis potestas AB in quaevis potestates lineae BD debeat semper productum efficere aequale seu constans esse²⁰⁾).

Dico me solutionem exhibiturum, quatenus nimirum possibilis. Sed harum rerum fit tandem finis.

Quoad Physicam. De hac etiam Tractatum seu prima physices elementa delineavi. Verum hic ex voto sic superavi difficultates, ut nesciam num ullus haec credere queat, imo ipse nunquam credidisset me posse unquam ad talem cognitionem per-

aut impossibilitatem ejusdem Quadraturae determinandi, Auctore D. T. Ce fut à l'occasion de cet article que Leibniz se résolut à commencer la publication de ses méthodes de calcul différentiel et intégral, afin de s'en assurer la priorité. Consultez Cantor, Geschichte der Mathematik, T. III, p. 186, et la préface de la correspondance de Leibniz et von Tschirnhaus publiée par Gerhardt, Leibnizens Mathematische Schriften, Erste Abtheilung, Tome IV, p. 417. Voir aussi, p. 321 de l'ouvrage:

Der Briefwechsel von Gottfried Wilhelm Leibniz mit Mathematikern. Herausgegeben von C. J. Gerhardt. Mit Unterstützung der Königl. Preussischen Akademie der Wissenschaften. Erster Band. Mit einem photographischen Facsimile. Berlin. Mayer & Müller. 1899. in-8^o.

²⁰⁾ On peut consulter, sur ces problèmes, les articles de von Tschirnhaus et de Leibniz dans les Acta Eruditorum de mars 1686 (p. 176), de juin 1686 (p. 299) et de septembre 1687 (p. 527).

venire. Ex tribus siquidem definitionibus quicquid esse possit (generali nempe cognitione: nam speciali hoc impossibile, nisi per experientias) derivo, hoc est caelos, stellas, planetas, plantas, mineralia, metalla, animalia, insecta &c. idque eadem methodo ac mathematici solent ex unica Circuli proprietate seu definitione data, omnes reliquas concludere. Multas et hac aetate experientias feci, sed triviales, quae perfecte his principijs respondent. Hinc a[utem] sequuntur talia, quae certe nescio num publicari debeant (ex gr. infinities perfectiora animalia dari ipso homine in universo, omnia bruta sentire, hominem forte perfectissimam creaturam hujus terrae non esse, perplurima animalia, quae vulgo perfecta esse dicuntur imperfecta forte esse, et quae contra imperfecta forte perfecta esse. Haec a[utem] omnia scio quibus medijs per ipsas experientias possint determinari, et haec optima via est, ad convincendos alios, et ut nobis nullum damnus metuendum. Et siquidem mihi succurrat a Parisiensibus, certe inaudita experimenta facturum sum, quae nescio num in cujusdam jam viventis cogitationem pervenerit, de quorum successu non possum desperare, cum experientias similes à Natura jam peractas videam, sed quas attentissime circumspicientes vix percipient, nisi mea principia sciant.

Dum vero similia narro, anceps haereo, ne bonam opinionem, quam de me concepsisti amittes, ac existimes potius me talia tantum et falso jaetare. Quare quo hac in re magis securus sis singula, quae edere constitui, tuo prius semper judicio exponam; et utinam tanti viri tale iudicium semper de iisdem experiar, ac haec mihi rescribis de cogitationibus meis circa sanitatem conservandam; quem Tractatum in medio Tumultu Parisijs conscribere incepi, in Hollandia aliquo modo polivi, sed jam ei multa adjeci, quae forte non minus placebunt. Brevi quoque tibi transmittam primam partem Logices meae, seu Tractatum de ratione excolenda²¹⁾, in qua parte describo quales dotes animi esse debeant ei, qui ad veritatem detegendam se accingit. In 2^a parte artis inveniendi generalia praecepta exhibeo. In 3^a in quo subjecto exercenda et qua ratione applicanda sint haec praecepta. Quibus visis adhuc melius colliges, num merear ut mihi succurratur ea ratione ac desiderio, numque etiam pecuniae desideratae frustra in me expendantur, quanquam mihi persuadeo inter tot expensas Regias multa millia absque ulla utilitate dispergi.

Ultimum quod rogo est, ut literas responsorias ad me, velis D. van Gent transmittere, hinc n[on] mirum] eas secure recipio; et quod velis ignoscere, quod non erubescam tam prolixis literis, imo ob temporis angustiam adeo impolitissimam Illustri Viro Nobiliori otium interpellare. Sollicitudo haec, quae me tenet, non parum minuitur, reflectendo ad singulares tuas Qualitates, quae magis realia sectaris.

Optime scio haec (quae si tempus permittat haud difficulter emendantur) te

²¹⁾ Les ouvrages cités dans la Lettre N°. 2276, note 2.

tanti non facturum: imprimis rogo ut me velis dignari eodem favore prosequi, quo aeternum haecenus me tibi obligasti, utpote qui gloriae summae mihi hoc reputo, et quod credas me ex integro esse

Illustrissimi ac Nobilissimi Viri

ad quaevis officia praestanda humillimum servum
EHRENFRIED WALTHER DE TSCHIRNHAUS.

^{o)} NB. fig. Dom. T. appinxiffem, sed ea convenit cum fig. X tabell. ad p. 33 sylv. tui Saturn. [P. van Gent].

N^o 2325.

P. VAN GENT à CHRISTIAAN HUYGENS.

9 OCTOBRE 1683.

*La lettre se trouve à Leiden, coll. Huygens.
Elle fait suite au No. 2323.*

Nobilissimo Viro CHRISTIANO HUGENIO PET. à GENT S. P. D.

Nuper admodum ad Nob. Vir. dedi epistolam, cui inclusa erat epistola Nob. D. de Tschirnhaus¹⁾, quam tibi (ita nempe a me petierat) quo melius legere posses descripsi: petii statim responsum, quo certior fierem, num eae tibi reddita; verum nihil responsi haecenus vidi, quod miror. Hodie iterum epistolae ad me delatae, in quibus conclusa erat *prima ejus Logices pars*²⁾, quam denuo petijt ut tibi nitide exararem, id quod lubenti animo a me fiet, si percepero hoc tibi gratum esse: velim hoc mihi vel literula significes. Dedit et ad D. Mariotte Epistolam, quam una mittam, quo eam Parisios ableges.

Plura non addam nisi me esse

Raptim 9 Octob. 1683.

Nob. Viro humillimum servum
PET. à GENT.

P. S. Iterum mihi ei scribendum proxima septimana, si quid per me curare velis, me tibi obsequentissimum invenies. Vale.

Wel Edele gebooren Heer

Mijn Heer CHRISTIAAN HUYGENS, HEER VAN ZULICHEM

In

pt.

's Gravenhage.

¹⁾ La Lettre N°. 2324.

²⁾ La Medicina mentis, l'un des ouvrages cités dans la Lettre N°. 2276, note 2.

N^o 2326.

P. VAN GENT à CHRISTIAAN HUYGENS.

13 OCTOBRE 1683.

*La lettre se trouve à Leiden, coll. Huygens.
Elle fait suite au No. 2325.*

Nobilissime Vir

Dubius haereo, num meas acciperis literas binas, cum haecenus, uti petieram responsi acceperem nihil, in quarum prima ¹⁾ apographum Tschirnhausii ²⁾ tibi scripseram et miseram, in altera ³⁾ vero indicaveram num gratum tibi sit futurum, ut tibi Logices novae 1. Partem ejusd. auctoris describam; adeo ut Epistolis illis metuam. Tertiam ecce mitto, in qua inclusi illam ad D. Mariotte, quam ad eum mittere Nob. Tschirnh. ut tibi placeat peti. Gratum procul dubio praestiteris illi beneficium, mihi que, si indicare placeat num res meae tibi rectè traditae sint. Vale Nob. Vir et favore tuo profèqui digneris

Raptim Amstel. 13 Octob. 1683.

Tuum PETRUM à GENT. M. D.

P. S. Apertas has reliqui, quo eas perlegere queas, clausasque eò ablegare. Vale.

Wel Edele Hooggeboren Heer, Mijn Hr.

CHRISTIAAN HUYGENS. Hr. VAN ZULICHEM

In 's Gravenhage ⁴⁾.N^o 2327.

CHRISTIAAN HUYGENS à B. FULLENIUS.

12 DÉCEMBRE 1683.

*La minute et la copie se trouvent à Leiden, coll. Huygens.
La lettre est la réponse au No. 2317.*Spectatissimo Clarissimoque VIRO BERNHARDO FULLENIO
CHR. HUGENIUS S. P.

Nimiam hanc in rescribendo moram miraberis merito Vir Praefantissime, vercor ne etiam aegre feras. Quae enim causa aut excusatio esse possit tam

¹⁾ La lettre N^o. 2323.²⁾ La lettre N^o. 2325.³⁾ Sur l'adresse Chr. Huygens a noté, au crayon: 4^o Blondel Calender. Cours de Math. nouvellement p. fort. Airs de diff. auteurs 1683. 12^o Geom. p. le Clercq Academie des Sciences 3 vol.⁴⁾ La lettre N^o. 2324.


diuturni silentij. Nam literae quidem tuae gratissimae mihi fuerunt idque dubitare nec debes nec potes, cum ego illas abs te exegerim quodammodo ut commercij nostri de rebus dioptricis hinc initium fieri. Valetudine quoque quanquam semper teneiore impeditus non fui, nec negotijs reipublicae aut domesticis otium meum interpellatur. Quid igitur adferam? Nempe me ita tamen fuisse occupatum jam a multo tempore, meditando experiendo inquirendo simul circa res tres difficillimas quos mox referam ut deflectere ad intricatiora ista optices mysteria, de quibus ad me pluribus scripsisti, hauquaquam fuerit animus; cupiebam autem tibi rescribens, simul dubia illa tua ac nodos diffolvere quos memineram olim in Barrowianis Lectionibus mihi quoque occurrisset, sed tamen quodammodo fuisse resoluta. Caeterum triplex illa quam dixi occupatio, aequum enim est ejus tibi rationem reddi, in his fuit. Primum rogatu Praefectorum Societati Indicae Horologia construenda suscepi inventioni Longitudinum destinata ¹⁾, quorum certus constansque motus esset aequae ac pendulorum tripedalium, nec maris agitatione ut illaturbarentur, quod negotium multo difficilius expertus sum quam initio putaveram ²⁾, nec adhuc ejus finis est, sed spes successit non exigua ³⁾. Alterum studium fuit in inveniendi ac exercenda ratione parandarum lentium telescopiorum, ut simul figuram sphaericarum perfectam et nitidissimam polituram acciperent ⁴⁾. Quod in telescopijs 36 pedum jam ita confectus sum ut nunquam fallat ⁵⁾. Nec puto in majori longitudine 80 pedum aut alia quavis quam nunc aggressus sum, spem meam frustrabitur. Tertius denique labor fuit in excogitanda et experienda machinatione nova ⁶⁾, qua telescopia istarum longitudinum absque tubo ad sidera inspestanda adhiberi possent; qua in re successu quoque non carui, nec enim unquam tam commode per tubum Lunam speculatus sum, quam nuper binis lentibus nudis 36 pedes inter se distantibus, absque tubo aut ligno ullo utramque conjungente. Unde ad majora jam

¹⁾ Voir, entre autres, la Lettre N^o. 2307.²⁾ A cet endroit on trouve dans la minute, au-dessus de la ligne, quelques mots en partie illisibles, dont nous n'avons pu démêler le sens, savoir: quippe quod experimentis observacionibusque essent longas. ejus exigens. scrupulosus.³⁾ Chr. Huygens s'occupait d'un nouveau genre de pendules, consistant en une plaque circulaire suspendue à trois fils parallèles. On en trouve le dessin et la théorie à la page 179 du livre F des Adversaria, portant l'inscription: *εὐρηξ* Hagae. 4 Dec. 1683. Pendulum cylindricum trichordon. Inventum postquam elaterem spiralem frigore accelerare motum horologii repperi. Hic effectum elateris absque elatere habemus.⁴⁾ Consultez la correspondance avec Constantyn Huygens, frère, à partir du N^o. 2278.⁵⁾ L'Observatoire de Leiden possède encore trois objectifs de cette époque, savoir, un objectif de 127 mm. de diamètre, portant l'inscription: PED. 34 CHR. HUGENIUS F. A. 1683. 19 NOV., et deux autres de 117 et de 116 mm., ayant une distance focale de 34 pieds, de C. Huygens, 13 nov. 1683 et 14 nov. 1683. Voir: Catalogus der Tentoonstelling ter herdenking van den 300-jarigen geboortedag van Constantyn Huygens. 's Gravenhage, W. P. van Stockum en Zoon 1896, in-4^o.⁶⁾ Voir la Lettre N^o. 2334, note 1.

animum adjeci, cum non videam quid impediat eodem modo telescopiorum 80, 100, aut 200 pedum effectu frui.

Vides Vir Eximie quibus in rebus operam collocaverim, quae et hoc assiduior fuit quod fratre meo natu majore laboris focio atque hortatore utar in his praefertim quae ad rem Telescopicam spectant, quorum ipsi non exiguum amorem inspiciavi. Pergo nunc ad literas tuas, atque ut ad ea quae scribis, sigillatim respondeam.

Primum tecum sentio, cum in Telescopiorum et Microscopiorum tractatione praecipua quaeque ac maxime difficilia ab authoribus quos haecenus habemus praetermissa. In his Honoratum Fabrum merito reprehendis, recteque refutas, qui Icario ausu et has et alias rerum subtilitates aggressus est, captu suo sublimiores. In Keplero recte etiam multa desideras. Est enim longe meliora quam quisquam ante eum de lentium effectibus tradiderit (nam apud Baptistam Portam, Maurolicum, Vitellionem, tenebrae merae, vel vix prima artis rudimenta) plurima tamen ac praecipua inexplicata reliquit, velut quae ad definitionem puncti concursus spectant radiorum, a certo puncto, vel ad punctum tendentium. Tum quae ad apparentem rei visae magnitudinem, una vel pluribus lentibus interjectis. Quorum prius cum a Cartesio quoque neglectum fuerit, alterum quoque quo minus assequeretur effecit. Ille enim in Hyperbolicis Ellipticisque vitris suis nihil praeter puncta concursus radiorum parallelorum attendit; quibus solis augmenti proportio, mea quidem sententia, explicari nequit. Unde factum, ut cum, de Telescopio agens, tamen eam definire vellet, talia lectoribus suis abstruserit quae nihil prorsus significant. Quousque Barrovius progressus sit recte animadvertisti, nempe relicta magis necessarijs, multum eum laborasse in apparentis imaginis loco designando, neque tamen ubique id eum potuisse. Namque pridem ego quoque scrupulum ipsi enatum novavi, qui idem tibi quoque, ut video, negotium facessit. Hunc vero me removere posse confido, idque jam aggrediar, ubi prius tibi fuero gratulatus quod caetera pleraque omnia ad lentium effectus spectantia, tua ipsius industria percepisti. Certe calculus algebraicus, quo ad singularem superficiem convexam uteris, itemque intervallum illud partium 222 in lente, quo definit punctum quo pertinent radij refracti a dato alio puncto egressi, optime se habent, teque Theoriae hujus egregiae peritum arguunt. Ut igitur de imaginis loco, quod pollicitus sum explicem: Recte in hoc Cartesio assentiris, quod distantiam non nisi binis oculis dignosci posse definit. Quo posito,



videamus tres casus illos quos proposuisti. Lens inter oculos *a*, *b* et objectum,

